Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



clxvj.

Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, Veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris; et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hec sunt que odit dicit dnus. Et factum est verbum domini exercituum ad me dicens. Hec dicit dnus omnipotens exercituum. Ieiunium primi et ieiunium quarti et ieiunium septimi et ieiunium decimi erit domui iuda in gaudium et letitiam et solemnitates preclaras. Veritatem tantum et pacem diligite, dicit dnus exercituum. ℣. Converte domine aliquantulum et depreca super servos tuos. ℣. Domine refugium factus es nobis a generatione et progenie. Oremus. Flectamus genua. Leva. Oro.

Ut nos domine tribuis solemne tibi defitere ieiunium; sic nobis quoque indulgentie prestes subsidium. Per. Angelus domini. cum hymno. Benedicatur. Que sabbato quatuor tempora in adventu domini.

Dominus vobiscum. Oremus. Oratio.

Omnipotens qui triplicis mitigasti flammas ignium, concede propitius; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Ad hebreos.

Heres. Tabernaculum factum est primum in quo erant candelabra et mensa et propositio panum quod dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum quod dicitur sanctasanctorum aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtecta ex omni parte auro; in qua erat urna aurea habens manna, et virga aaron que floruerat et tabule testamenti: super eam cherubin gloriae obumbrantia propiciatorium; de quibus non est modo dicendum singula. His vero ita compositis in sancta quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. In secundo vero solus sanctum in anno intrabat solus pontifex non sine sanguine quem offerebat pro sua et populi ignorantia